



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **OVERRIENSIS** IN NIGERIAE FINIBUS NOVA  
PROVINCIA ECCLESIASTICA

Ad aptius efficaciusque fovendam catholicam fidem in Nigeriana Natione, ubi Ecclesia hac praesertim aetate haud parva incrementa cepit, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuit ibidem inter alias novam Provinciam Ecclesiasticam nomine Overriensem esse condendam. Nos igitur in beati Petri Cathedra constituti atque de universo Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Onitshana seiungimus dioeceses Overriensem, Abanam, Ahieranam, Okigvensem, Orluanam et Umuahianam atque ex his constituimus Provinciam Ecclesiasticam Overriensem, quarum dioecesium primam, scilicet Overriensem, ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae attollimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, mandantes ut ceterae, quas diximus, dioeceses eidem sint suffraganeae. Insuper renuntiamus Archiepiscopum Metropolitanam Overriensem Venerabilem Fratrem Antonium Obinna, hactenus Episcopum Overriensem, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Haec omnia ad effectum adducat Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò, Archiepiscopus titulo Ulpianensis atque in Nigeria Apostolicus Pronuntius, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et iugiter plene vim suam sortiri volumus, rebus quibusvis haud quaquam obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro gentium Evang. Praef.*

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 8, p. 631

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana